

coelestibus, de natura rerū subtiliter ac uerē dīspūtata sunt,
ueritati Christiane maximē astipulantur. Meritabatur enim
profectō tam egregia indagandæ ueritatis intentio, opera
illa tam acris, adeò celebre studium, sudoris sui fructu non
usque quaque destitui, deo id permittente ut illorum quoq;
testimonio fides uera firmamentum ac robur acciperet.
Multā in his & dicta grauiter & facta constanter inue-
nias, ut non modo ex illorum libris fidem inuiolabilis ue-
ritas capiat, uerum exemplis quoque religione nostrae in-
citamentum uirtutis accedat. Quām sedum enim, quan-
quam plenum dedecoris est, si Christianum hominem, &
de deo suo pendentem, & cui eternae uite spes certa sit,
uirtuti & continentiae dare operam pīgeat, cūm gentiles
uiros, & à ueri cultu dei ac religione longe alienos pro-
hibitai, modestiæ, frugalitati, ceterisq; id genus animi hu-
mani ornamenti impensius studiisse comperit: pleraq; ex-
empla huiuscē pene dixerim euangelice perfectioni pro-
xima sunt, ut pudendum uchementer & erubescendum sit,
si id minus exhibeat Christi quām mundi philosophus,
plusq; in gentili pectore possit amor gloriae inanis, quām
in animo Christiano religiose pietatis affectus. His atque
huiusmodi rationibus facile mihi persuasum est, ut hoc tra-
ducendi munus non modo ut inutile non aspernarer, seu ut
noxiū fugerem sed contrā penitus, ut commodum ac ne-
cessariū constanter aggrederer. Nempe si quem forte plus
& quo eiusce hominum admiratio rapiat, earumq; gesta no-
stratis philosophiæ præferre seu conferre & exemplis ue-
lit id quod solum ferme timemus, is leuiter admonendus
erit, solidam potius uirtutem, quām adumbratam uirtutis
imaginem admiretur, & ei ipsi quos stupet quām misera-
bili interdum lapsu corruerint ex ipsa lectione docebi-
bitur.